

mitti poterant ; quæq; præsijs castrorum Francicorum inter Lup-  
 piam , Visurgim & Dimolam ante alias tuta ac præmunita erat.  
 Quanquam prima Episcopi sedes non Paderbornæ, sed Heristalli in  
 castro ad Visurgim collocata sit. Unde Episcopi Paderbornenses pri-  
 mum Heristallenses dicti feruntur à nomine, quod postea loco à sta-  
 tione & hibernis Caroli inhæserit ; haud secus quàm Sturmioni  
 Eresburgum intra fines hujus diœcesis sedes data fuit. Cetera hujus  
 Lippiensis Synodi acta, ut aliorum complurium, temporum injuriâ  
 interciderunt. Sacris civilibusq; per Westfaliam constitutis, Rex trans  
 Visurgim duxit exercitum, pari sollicitudine cum Orientali Saxonum  
 gente transacturus. Quam in rem ad \* Ocrum fluvium eorum pro-  
 ceres populumq; convenire imperavit : ubi inter cetera ita de Chri-  
 stiana religione actum, ut magna gentis turba sese in Horheim ad Ba-  
 ptismum obtulerit, quam & salutari fonte ablui permisit.

Prima  
 Episcopi  
 Pader-  
 born. Se-  
 des Heri-  
 stalli fuit.

\*al. Oba-  
 crum.

## Annus Christi 781. 782.

Hadriani Pontif. 10. 11.

Caroli M. Franc. Reg. 14. 15.

Rem Christianam simul & publicam bene jam in Saxonia  
 ordinatam ratus Carolus, alteram hoc anno Romam profectio-  
 nem suscepit, ut inter cetera regni sui negotia cum Hadriano Ponti-  
 fice de Episcopatibus à se institutis , & de Episcopis imponendis  
 conferret, offerretq; jam omnem Saxoniam Christo, ac D. Petro de-  
 votam. Paschate cum Pontifice celebrato, inunctisque duobus filijs  
 Pipino & Ludovico in Reges, Carolus in Franciam redijt ; atque inde  
 nihil impensius habuit, quàm in Saxoniam se conferre, ad ordinan-  
 das res sacras cum Pontifice pertractatas.

Carolus  
 M. Ro-  
 mam ad  
 Pontifi-  
 cem pro-  
 ficiscitur.  
*Ann. Franc.*  
*Auctor vita*  
*Caroli.*  
*Poëta ano-*  
*nymus.*  
*Regino.*

Vix dum annus 782. per vernum tempus se aperuerat, cum tra-  
 jecto ad Coloniam Rheno, omnem Francorum exercitum ad fontes  
 Luppiaë ducit ; ubi castris positis, conventum indixit, quem nonnulli  
 Francorum scriptores generalem appellant ; tanquam universi Sax-  
 oniaë proceres ex Westfalia, Angaria & Ostfalia, convenerint, qui-  
 buscum extremum Carolus pertractarit. Et adfuisse scribuntur Ca-  
 rolo Episcopi cum Sacerdotibus, referturque ille plenus majestate  
 regia Rempublicam ordinasse : licet acta Synodi (quæ tertia Pader-  
 bornensis haberi potest) aut temporum injurijs, aut scriptorum in-  
 curia ad nos non pervenerint. Certè dum ad fontes Luppiaë Carolus  
 magnam æstatis partem agit, accessere Sigefridi Danorum Regis  
 Hunnorumque legati, quos Caganus & \* Jugurrus gentis Principes  
 ad Carolum miserant. Ita rursus celebris Paderborna Regis frequen-  
 tia ; vidissetque Francos haud secus quàm Romanos ad Alifonem &  
 hos

Conven-  
 tus ac Sy-  
 nodus Pa-  
 derbor-  
 nensis III.

\*al. Figur-  
 rus.